

## 1245-1245- OFP - Acta Capitulorum Generalium Colonie Celebrati

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.  
 Acta capituli generalis Colonie celebrati  
 anno Domini · M° · CC° · XLV° .

Confirmamus hanc addicionem. Perpetuum autem dicimus; quod diffinitores de prudencium consilio; perpetuum iudicabunt. Et hec habet · iii · capitula.

Approbamus hanc. Pena pro fractione silencii. hec est. etc. radatur totum illud usque ad sequentem rubricam. et dicatur. fratres de silencio in capitulo se accusent. sicut de aliis culpis. et priorum arbitrio puniantur. El hec habet · ii · capitula.

Item hanc. Ubi dicitur. Quicumque aliquem fratrem falso scienter diffamaverit. vel in capitulo proclamaverit. non absolvatur in privato nisi prius in capitulo se accuset.

Item hanc. Ubi dicitur de apostatis. Numquam priorem locum teneant. sed inferiorem secundum quod prelato visum fuerit. removeatur hoc et addatur. ad priorem locum non redeat. nisi per provinciale capitulo cum eo fuerit dispensatum. ita tamen quod anni quibus fuit in apostasia. non computentur ei quo ad locum. sed sit sub omnibus illis. qui habent plures annos in ordine quam ipse habuit; quando exivit. Et hec habet · ii · capitula.

Item hanc. Si priorem provincialem aliquo modo impediri contigerit. quod venire non possit ad capitulo generale. quando capitulo est provincialium; socius eius sibi datus a diffinitoribus capitulo provincialis. admittatur ad omnia cum prioribus provincialibus. sicut admittitur socius diffinitoris capitulo generalis. Et hec habet · ii · capitula.

Item hanc. Ubi dicitur. in constitutionibus. quod si alterius religionis inventus fuerit. non recipiatur in ordine nostro. nisi per capitulo provinciale cum eo fuerit dispensatum. totum hoc removeatur. Et hec habet · ii · capitula.

Item hanc. Fratres non audiant confessiones aliorum. quam fratum. citra · xxx · annos. Et hec habet · ii · capitula.

Inchoamus hanc. Ubi dicitur de silencio mense. et ipse taceat. nulli autem aliorum loqui liceat. nisi de necessariis mense tantum. et hoc; unica oracione. Illam autem que anno preterito confirmata fuit per errorem. ut patet. dicimus nullum esse. sed ne fiat ordinis dissolucio; magister sub eadem pena vult observari sicut est inchoata.

Item hanc. Nullus frater instare audeat vel rogare. pro beneficiis suis consanguineis obtainendis.

Item. Ubi dicitur in constitutionibus. nulla domus concedatur. etc. addatur in fine. nec concessa recipiatur cum conditionibus. nisi de speciali licencia capitulo generalis.

Item. Ubi dicitur in constitutionibus. feria · iia · et · iiia · ante diem cinerum. quadragesimali utimur cibo. addatur. et ieunamus.

Item. Fratres leprosi infra cepta sui conventus seorsum procurentur. Quod si artitudo loci vel alia legitima causa non permiserit; per priorem provincie ad conventum alium nostri ordinis. transferantur.

Admonemus. ne pulmenta cocta cum carnibus; in domibus hospitum comedantur. Item. Non eligantur debiles fratres in diffinitores. vel socios pro capitulo generali. Item. Fratres in locis ubi habitant; panem petant in signum paupertatis.

Item. Caveant priores. ne aliquem fratrem puniant. vel notabiliter molestent. pro eo quod eos in capitulo generali vel provinciali proclamaverit vel scripserit contra eos.

Item. Mandamus quod districte servetur constitucio de non eundo ad curiam. nec ordo personis inutilibus honeretur.

Item. Ubi salve regina coram populo dicitur. post fidelium anime. fratres in chorum revertantur; et more solito. pater noster. et credo in deum. dicant.

Item. Inter pascha et octavas penthecosten. ad laudes non pulsetur. nisi in sollempnitatibus praecipuis.

Item. Non fiant in ecclesiis nostris cum sculpturis prominentibus sepulture. et que facte sunt auferantur.

Item. Mandamus quod priores ad legendum apti. in proximis capitulois provincialibus absolvantur. nec priores vel suppriores fiant.

Item. Mandamus quod priores provinciales de dispensacione pecuniarum. si quas receperint. reddant rationem earum diffinitoribus capitulo provincialis. similiter et librorum.

Item. Mandamus quod in quolibet conventu sit unus quaternus in quo scribantur singulis annis acta capitulo generalis et provincialis. et quater in anno legantur. nec deleantur nisi fuerint revocata.

Item. Inhibemus ne frater conversus in clericum recipiatur nisi de generalis capitulo vel magistri licencia.

Item. Fratres nostri nullo modo sacramentum unctionis extreme mulieribus impendant.

Item. Prohibemus ne aliquis frater qui vectura carere non potest extra ad predicandum mittatur. nisi quantum comode poterit ire pedes. nec possint priores in contrarium dispensare.

Committimus quatuor fratribus Francie. Anglie. Lombardie. Theotonie. quod stantes in domo Andegavensi officium nocturnum. et diurnum. tam in littera. quam in cantu et rubricis. corrigant et concordent. ac defectus suppleant. cum quanto possint dispendio minori. et quilibet de predictorum quatuor afferat tam nocturnum quam diurnum officium. secum de provincia sua. et hec provinciales procurent. et sint in festo Remigii. et si qui non venerint. alii nichilominus procedant.

Quicumque garciones duxerunt; · iii · dies in pane et aqua ieunient.

Concedimus unam domum in Dacia · iii · in Provincia · ii · in Hispania · i · in Saxonia. si episcopus pecierit. et capitulum provinciale concesserit.

Item. Concedimus Bergensem. ita quod termini illius domus non extendantur ultra duo millaria versus domum de Burgis.

Capitulum erit Parisius. Et mandamus omnibus fratribus. qui aliquod miraculum de beato Dominico sciunt. preter ea que in vita sua scripta sunt. quanto poterunt testimonio; sequenti capitulo scribant. Idem dicimus de magistro Iordane.